

TRACTATUS II. PARTIS COMMUNIS.

Caput IV. De Enunciationis divisione secundum Qualitatem & Quantitatem.

Enuntiatio ratione.

QUALITATIS est vel

- Affirmativa*, in qua prædicatum affirmatur de subjecto: ut *Aristoteles est Philosophus*. Κατάφασις ἐστὶν ἀποφασίς τινὸς κατὰ τινὸς l. de Interpret. c. 4. Affirmatio est enuntiatio alicujus de aliquo.
- Negativa*, in qua prædicatum removetur à subjecto: ut *vitium non est amandum*. Ἀπόφασις ἐστὶν ἀποφασίς τινὸς ἀπὸ τινὸς. Negatio est enuntiatio alicujus ab aliquo. (Ut Enuntiatio sit in negativa necesse est particulam negandi justo loco poni *b. e.* vel toti orationi præmitti; vel copula: vel verbo adjectivo vim copulandi habendi immediate addi.

QUANTITATIS est.

- Universalis*, cujus subjecto præfigitur signum universale: ut *nullus homo est lapis*. Signa universalia sunt: *Omnis, quicumque quisque, nullus, &c.*
- Particularis*, cujus subjecto præfigitur signum particulare: ut *Quidam homo est doctus*. Signa particularia sunt: *Quidam nonnullus, non omnis, &c.*
- Indefinita*, cujus subjecto communi nullum signum præfigitur: ut *homo currit*.
- Singularis*, quæ constat subjecto singulari; ut *Petrus ambulat*.

Caput V. De Enunciationis divisione secundum materiam.

Enunciatio ratione MATRIÆ est

1. vel *Vera*, quæ cum re, quam affirmat vel negat, consentit; vel quæ est conformis rei significatæ; ut *homo rationalis*.
2. vel *Falsa*, quæ à re, quam affirmat vel negat, dissentit; ut *homo est lapis*, *Necessaria*, quæ sic est vera; ut non possit esse falsa; ut *homo est rationalis*, *Contingens*, quæ potest esse vera & falsa, ut *Johannes est probus*, *Impossibilis*, quæ sic est falsa, ut non possit esse vera; ut *homo est brutum*.
3. vel *Essentialis*, cujus totum prædicatum est de essentia subjecti: ut *homo est animal*. Illud dicitur esse de essentia, sine quo alterius natura nec esse nec concipi potest. *Accidentalis*, cujus prædicatum vel nulla ex parte; vel non totum est de essentia subjecti; ut *Johannes est albus*, vel *Johannes est homo albus*.
4. vel *Ordinata*, in qua id prædicatur, quod aptius est prædicari quam subjici; quod potissimum fit, quando superius prædicatur de inferiori, vel accidens de suo subjecto. *Inordinata*, quæ prædicatur de superiori; vel subjectum de Accidente. *Præter ordinem*, in qua neutrum aptius est subjici, vel prædicari, quam alterum. *Identica*, cujus subjectum & prædicatum sunt ejusdem prorsus significationis: ut *ensis est gladius*. *Per accidens*, in qua duo concreta de se invicem prædicantur propter identitatem subjecti, quorum tamen prædicatio in abstracto est falsa; ut *album est dulce*.
5. vel *Propria*, cum prædicatum dicitur de subjecto per modum aliquem s. prædicabilium. *Figurata*, cum res duæ disparatæ de se invicem prædicantur per tropum aliquem; ut *Herodes est vulpes*. *Inusitata*, ubi modus prædicandi inusitatus est, licet voces propriam suam significationem retineant; ut *Deus est homo*.